

quo non immerito severum Aristophanis iudicium est expertus. Nam quum natura propensior ad quamdam tenuitatem et subtilitatem, neque aut tam excelso animo quam Aeschylus, aut tam caste temperato ingenio quam Sophocles esset, eo facilius se adduci passus est, ut aliquid de pristina cura diligentiaque remitteret, magisque quid placitum populo esset, quam quid deberet placere spectandum putaret. Atque in Oreste quidem non pauca sunt, quae si quis accuratius consideret, non modo non laudanda, verum etiam vel ut inutilia vel ut pugnantia cum natura tragoediae vituperanda esse intelligat. Statim ipsum fabulae argumentum ita comparatum est, ut, si eo modo quo placuit Euripidi tractetur, bona tragoedia componi nequeat. Est enim, ut brevissime dicam, capitale periculum Orestis et Electrae, ex quo quum illos salvos evadere oporteret, curandum erat ut et metu implerentur spectatores et gauderent liberatis. Neutrum eo quo conveniebat modo factum est, sive, ut rectius dicam, non est omnino factum. Nam quum illud argumentum haec duo quasi capita habeat, periculum et liberationem a periculo, quae ad periculi descriptionem pertinent, qualia tandem sunt? Maternae caedis reos Orestem et Electram capitis damnaturi sunt Argivi. Metuunt igitur Orestes et Electra instantem sibi mortem. Hunc metum videtur Euripides cum eo metu confudisse, qui in animis spectatorum excitari debebat, putasseque, si Orestes et Electra metuerent, eum metum etiam ad spectatores pertinere. At hoc secus est. Nam Orestes et Electra iam sunt in metu: spectatores nihil aliud quam vident hos metuere iustamque metuendi causam habere; ipsi non metuunt. Nam ut cum aliquo et de eo metuamus, non satis est scire illum in metu esse, sed infortunio eius ita nos